

# EPISTULA LEONINA

## LXXXII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXXVIII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**OCTOGESIMAM SECUNDAM (82) !**

## ARGUMENTA

1. Myths Graeci: De Niobâ
2. Petri Iacturarii mira historia (III)
3. Vocabula vestiaria (IV)
4. Voces et echus

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

### ***Cara Lectrix, Care Lector,***

*valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam octogesimam secundam.*

*Tibi in Latinum converti Niobae mythum et Patri Iacturarii mirae historiae partem tertiam necnon vocabula vestiaria; ne omittas, quaeso, Voces et echus, quae documenta sunt Latinitatis verê vivae.*

**Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!**

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Saturni, 11. m.Oct. a.2014



**OMNIA AD MAIOREM DEI GLORIAM**

**IGNATIUS LOYOLA**

**(1491-1556)**

**Iñigo López Oñaz de Recalde y Loyola**

**pinxit Giacomo del Conte**

## MYTHI CLASSICAE ANTIQUITATIS PULCHERRIMI

a *Gustavo Schwab* theodiscê scripti, a *Nicolao Groß* Latinê redditi

### XXXVI. De Nioba



**NIOBA**, regina Thebarum, de multis rebus gloriabatur. Amphion, eius maritus, a Musis acceperat lyram magnificam, qua sonante lapides arcis regiae Thebarum ultro erant inter se compositi; eius pater erat Tantalus, conviva deorum; ea ipsa erat animi altitudine, corporis pulchritudine eximiâ; nullâ autem re elatior erat quam stupendo numero quattuordecim liberorum florentium, quorum septem erant filii septemque filiae. Necnon Nioba appellabatur omnium matrum felicissima, quae reverâ fuisset, nisi ipsa se hanc esse putavisset; itaque conscientia felicitatis Niobae facta est fatalis.

Aliquando Manto filia Tiresiae, vates divino afflatu commota, mediis in viis mulieres cohortata est, ut colerent Latonam deam eiusque liberos geminos, Apollinem Dianamque, ut capillos lauro coronarent piasque preces funderent tura sacrificantes. Thebaides confluebant, cum subito Nioba regiis comitibus amplissimis circumdata vestimento aureo induta gloriosè elata incessit. Haec mulier - quamvis irata - splendebat pulchritudine, caput eius decôrum movebatur simul cum capillis per ambos umeros defluentibus. Sic inter mulieres sub dio sacra parantes stabat media, oculos magnâ cum altitudine in congregatis defixit et vociferata est: »Heus vos, nonne deliratis deos colentes, quos esse aliqui homines sunt hariolati, quamquam inter vos versantur animantia caelestibus multo gratiora? Si aras ponitis Latonae, quidnam ture vacat nomen meum divinum? Nonne Tantalus pater meus est unicus mortalis, qui ad mensam sederit caelestium, Dione mater mea est soror Pleiadum, quae sidus lucidum fulget in caelo; avus meus alter est Atlas ingens, qui cervice fert caeli convexa; abavus meus Iuppiter est pater deorum; ipsius Phrygiae gentes mihi oboediunt, mihi meoque marito subditi sunt muri, qui inter se compositi sunt Iyrâ Amphionis sonante; omni in parte palatii mei mihi patefiunt thesauri immensi; accedit facies mea, quae digna est deâ, accedit grex liberorum, quo maiorem vix habet ulla mater: septem filiae florentes, septem filii fortes, mox totidem generi et nurûs. Num quaeritis, quid sit, cur elata sim? Num audetis mihi praeferre Latonam filiam Titanum ignotam, cui olim lata Tellus nullum spatium concessit, ubi pāreret Iovem, usque dum Delos insula natans misericordiâ affecta eidem vaganti sedem obtulit immunitam. Ibidem Latona facta est mater duorum infantium - en miseram, quae septimâ tantum parte fructa est gaudii materni mei! Quis negat me esse felicem, quis dubitat me felicem esse mansuram? Fortunae deae multum laborandum esset, si affligere vellet possessionem meam! Si natorum mihi eriperet hunc aut illum, quando umquam grex eorum deminueretur ad numerum geminorum Latonae miserum? Ergo desinite sacrificare, e capillis eximite laurum! Discedite in domos vestras, ne iteretis inceptum tam stultum!«

Mulieres autem territae coronas de capitibus deposuerunt, a sacris destiterunt imperfectis, domum repserunt precibus submissis deam colentes.

Cyntho in summo monte Deli Latona dea unâ cum geminis filiis stabat oculo divino spectans, quid fieret in urbe Thebarum remotâ. »Heus liberi mei« inquit »mihi, matri vestrae, quae gloriatur de vobis natis, quae nulli deae cedit nisi Iunoni, maledicatur a muliere mortali petulanti; ab aris sacris depulsabor, nisi vos me adiuveritis, liberi mei! Ita, vobis quoque Nioba maledicit, vos quoque catervae suae postponit!« Latona narratis voluit addere preces, sed Phoebus matre interruptâ: »Iam desine« inquit

»lamentari, ne poenam remorêris!« Soror ei assensa est; ambo tegimine nubium obvoluti impetu rapido in auras eveci urbem et castrum Cadmi assecuti sunt. Hîc ante moenia se expandebat campus planus et spatiosus, qui non erat destinatus frumento serendo, sed exercitiis certaminibusque equestribus et currilibus. Eodem in campo septem filii Amphionis modo se delectabant: alii ascendebant equos alacres, alii gaudebant luctando. Ismenus, filius maximus natu, modo equum per gyrum securê agebat gradu citato rostrum spumosum cohibens, cum subito: »Vae mihi!« vociferatus, frenum e manibus languescentibus amisit et sagittâ medio cordi infixâ lentê a dextris ad armum equi delapsus est. Sipylyus frater eius, qui ad eum proximus festinabat, pharetrâ in auris strepente auditâ aufûgit freno remisso, sicut gubernator ante tempestatem omnem auram velîs capit, ut in portum invehatur. Tamen sagitta stridulê per aëra volans eum assecuta est, scapus sagittae cervici inhaesit, ferrum nudum ex collo eminuit. Per iubam equi laxatis habenis cursitantis iuvenis mortiferê ictus delapsus humum sanguine fumante aspersit. Duo alii, uni nomen erat Tantalî avi sui, alteri Phaidimi, inter se luctabantur pectore pectori imposito. Tum arcu denuo resonante fratres inter se complexi sagittâ perfossi sunt. Ambo simul congemuerunt, membra dolore percussa humi distorserunt, oculos desplendescentes perverterunt, in pulvere animas efflaverunt. Alpenor, quintus quidam filius, illos vidit cadentes; pectus plangens membra fratrum frigescentia amplexu redanimaturus advolavit, sed hoc inceptum pium agens ipse delapsus est, nam Apollo ei ferrum mortiferum immisit medium in cordis ventriculum; Alpenor autem cum sagittam extraxisset, cum spiritu sanguis et viscera morientis prorupta sunt. Damasichthon, sextus filius Niobae, iuvenis tener longis cincinnis ornatus, in artu genûs sagittâ ictus est; et dum se recurvat telum inexpectatum manu extracturus, altera sagitta pennis tantum extra relictis per ôs eius apertum deorsum in gulam deiecta est, et scaturigo sanguinis tamquam silanus ex gutture in altum prosiluit. Filius ultimus minimusque natu, Ilioneus puer, qui omnia spectaverat, in genua decubuit, bracchiis expansis coepit supplicare: »O dei omnes universi, parcite mihi!« Ipse sagittarius terribilis commotus est, sed sagittam non iam potuit revocare. Puer collapsus est. Sed cecidit vulnere levissimo, quod vix usque ad cor pervaserat.

Fama infortunii mox per urbem diffusa est. Nuntio horribili accepto Amphion pater pectus suum ferro percussit. Lamentatio ministrorum totiusque populi mox in gynaeceum quoque perlata est. Nioba diu rem terribilem factam mente non percepit; non credidit caelestes tantis privilegiis esse, ut mortalibus istud facere auderent atque valerent. At mox non iam dubitavit. Eheu, quam dissimilis Nioba nunc fuit illi priori, qui modo demum populum ab aris deae potentis proterruerat et cervice

altâ per urbem incesserat! Illa amicis carissimis visa erat digna, cui invideretur, ea, cuius misereretur ipsum adversarium! Nioba in campum se proripuit, se coniecit in corpora frigida, ultima oscula distribuit filiis, modo huic, modo illi. Tum brachiis contusis versus caelum sublatis vocavit: »Pasce te lamentatione meâ, satura animum tuum truculentum, o Latona crudelis, morte horum septem filiorum ad sepulchrum perducta sum; triumphum age, hostis quae vicisti!«

Nunc septem filiae quoque advenerant capillisque volantibus circa fratres caesos stabant. Deinde filiabus aspectis in facie Niobae pallidâ elucuit quaedam malevolentia. Mulier sui ipsius oblîta oculis irrisoriê versus caelum coniectis: »Heus victrix!« inquit »immo, ipsi mihi infelici plures mihi restant quam tibi felici. Tot filiis caesis tamen ego te supero!« Nioba haec vix locuta erat, iam resonuit nervus, quasi arcus vehementer tenderetur. Omnes territi sunt exceptâ Niobâ; ea enim infortunio audax facta erat. Tum subito una ex sororibus manum cordi admovit; ea sagittam extraxit, quae sibi medio infixata erat. Exanimata humum delapsa faciem emorientem demisit super fratrem proximê positum. Altera soror ad matrem miseram properavit, ut consolaretur; at vulnere occulto flexa subito obmutuit. Tertia fugiens humum delabitur, aliae cadunt in sorores moribundas inclinatae. Ultima tantum relicta erat, quae ad gremium matris fugerat veste sinuosâ obtecta more puellari ei se applicavit. »Hanc unam«, Nioba clamavit ad caelum »minimam tantum e tot liberis mihi relinquit!« At eâ adhuc deos obsecrante filia iam e gremio eius delapsa est, ut Nioba sola relicta est sedens inter mariti et filiorum filiarumque corpora mortua. Tum aegritudine animi obrigit; nullâ aurâ commoti sunt capilli capitis Niobae; e facie sanguis recessit; genis tristibus insiti erant oculi immoti; mulier aspectu erat hominis prorsus exanimis; venae pulsu finito torpuerunt, cervix non iam versa, brachium non iam sublatum, pes non iam motus est; ipsa corporis viscera redacta sunt in saxum frigidum. Nihil in Niobâ restitit vivum nisi lacrimae; quae ex oculis saxeis defluere non desinebant. Nunc saxum ingenti procellâ correptum per aëra et trans mare abductum in patriâ demum Niobae priore, in Lydiâ, in montibus vastis, sub scopulis Sipyli lapideis depositum est. Hîc Nioba in saxum marmoreum mutata in cacumine montis adfixa est; nec marmor desinit lacrimando diffluere.

**FINIS**

**MYTHUM NIOBAE  
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM  
IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.com/>**



## PETRI IACTURARII MIRA HISTORIA (III)<sup>1</sup>

*Scriptis Adelbertus de Chamisso, Latine reddidit Nicolaus Groß*



Ecce Petrus lacturarius umbrae expers desperatus in raedâ sedens.  
Hanc xylographiam confecit *Adolfus de Menzel* a.1839.

### Capitulum tertium

Captivo catenis ferreis alligato quid prodessent alae? Quibus îdem tamen, et terribilius, desperaret. Tamquam Fofnerus draco in sede suâ omnis solacii humani expers prope aurum iacebam tabescens, quod nequaquam cupiebam, sed exsecrabar, quia eius causâ videbam me esse ab omni vitâ interclusum. Necnon intra me solum secretum meum funestum servans timebam ministrum mei vel ultimum, cui simul invidebam; nam îdem umbrâ instructus erat; eidem licebat in sole aspici. Die noctuque solus et desolatus considebam in conclavibus meis miserîaque meâ dolebam.

<sup>1</sup> cfr Pars prima: EPISTULA LEONINA 79, p.12-20; pars altera: EL 80, p.12-16. Titulus originalis: »Peter Schlemihl's wundersame Geschichte mitgetheilt von Adelbert von Chamisso«

Erat aliquis qui coram me mecum doleret: Bendelius meus fidelis non desiit torqueri tacitè se ipsum accusans, quod fidem domini sui clementis fefellisset illum non agnoscens, quem ut conveniret missus esset et quocum fatum meum triste artè coniunctum esse non potuit, quin cogitaret. At ego nullam culpam transtuli in Bendelium cognoscens rem factam esse naturâ viri illius ignoti fabulosâ.

Tamen nihil non conans facere, ut me servarem, aliquando Bendelium cum ei dedissem anulum adamantinum pretiosissimum, misi ad urbis pictorem illustrissimum invitandum, ut ad me veniret. Qui vênit, ministris e conclavi emissis et ianuâ clausâ ad eum virum consedi, et, cum artem eius laudavissem, animo gravato vëni ad rem tractandam, primo eum severè rogavi, ut promitteret, ne aliis panderet meum mysterium.

»Domine Professor« inquam, »potestne fieri ut homini, cui infelicissimè accidit, ut umbram amitteret, pingas umbram adulterinam?«

»Dicis te amisisse umbram propriam?«

»Hanc ipsam dico quidem«.

»At« ille perrexit interrogare, »quanam stultitiâ fieri potuit, ut amitteres umbram tuam?«

»Quomodo hoc factum sit« respondi »licet nunc omnino non rêferat. Tamen haec sufficiant« et – illum fallens re impudenter confictâ - »In Russiâ, ubi hieme proximâ praeteritâ iter feci, aliquando frigoribus insolitis, umbra mea humo firmitus defixa est, quam ut absolverem«.

»Umbra adulterina, quam tibi pingere possem«, professor respondit, »nulla esset nisi talis, qualem motu vel minimo amitteres; cum maximè tam infirmiter affixus sis ad umbram tuam propriam, quam narrasti; qui expers est umbrae, is ne ineat in lumen solis. Hoc est sanissimum et certissimum«. Surrexit et abiit torvis oculis me aspiciens, quos non passi sunt oculi mei. In sessibulum relapsus faciem manibus imposui.

Talis inventus sum a Bendelio intrante. Qui cum videret, quantum dolerem, voluit recedere tacitè ac reverenter. At ego suspexi. Non potui quin loquerer cum aliquo de miseriâ meâ: »Bendeli« ei acclamavi, »tu solus vides passiones meas easque plus dignaris, quam ut explores, qui quietus et pius mihi condoleas, vëni ad me, Bendeli, sis animae meae proximus. Thesaurus auri mei non reclusi a te, non recludam a te thesaurus meae aegritudinis. - Bendeli, noli me deserere. Vides me divitem esse, liberalem, clementem, putas oportere, ut homines me magnificent, sed vides me aufugere homines meque recludere ab hominibus. Bendeli, homines iudicaverunt; qui me expulerunt, necnon tu

fortasse te avertes a me, si acceperis mysterium meum terribile; Bendeli, dives sum, liberalis, clemens, – at – o Deus ! – careo umbrâ!«

»Cares umbrâ?« bonus ille puer territus exclamavit lacrimis proruptis.  
 »Utinam ne natus essem, pro eo ut serviam Domino umbrae experti!«  
 Ille conticuit, ego faciem tenebam manibus inclusam.

»Bendeli« post pausam dixi, nunc scis omnia; nunc licet abeas – hominibusque pandas mysterium meum«. – Ille diu visus est cum animâ graviter luctari, denique ad pedes meos procumbens manum meam comprehendit, quam lacrimis suis umidavit. »Hoc non faciam« exclamavit, »quidcumque ceteri homines cogitant, ego umbrae causâ dominum meum clementem neque relinquo neque relinquam. Probê faciam, non callidê, manebo apud te, mutuam tibi dabo umbram meam, te adiuvo, ubi potero, et ubi non potero, tecum lacrimabo«. Eum amplexus sum stupefactus, quod animo erat tam ingenuo. Persuasum mihi erat eum non auri causâ apud me manere.

Ex eo tempore fortuna mea meusque modus vivendi aliquatenus mutati sunt. Dici non potest, quam prudenter Bendelius sciverit occultare vitium corporis mei. Qui ubique erat ante me et apud me, omnia praevidens, praeparans, ubicumque periculum imminebat, celeriter me umbrâ suâ obtegens, nam erat me longior et robustior. Ita factum est, ut denuo auderem hominibus interesse et inciperem personam gerere in mundo. Sanê miros mores ut induerem necesse erat. Sed tales decent divites, et dum veritas latebat, omni honore et respectu perfructus sum, qui auro meo tribuebantur. Nunc animo tranquilliore exspectavi ignotum virum illum mysterialem, qui se ad me venturum esse anno et die transactis promiserat.

Bene sensi non esse consentaneum, ut diutius versarer in eodem loco, ubi iam visus eram umbrâ privatus, et ubi facile fieri poterat, ut proderer; haud scio an nihil mente revolverim nisi ea quae mihi accidissent apud Dominum Ionum versanti; illius memoriae pertaesus hîc loco breviter tantum volui remanere ad rem experiendam, ut alicubi facilius et audacius possem in publicum prodire – tamen incidi in quendam hominem, quo aliquamdiu retinerer vanitate affectus: istaec enim est hominis inclinatio, qua ancora certissimê defigatur.

Ipsa Fannia pulchra, in quam loco tertio iterum incidi, ad me, quem non recordata est, aliquatenus attendit, nam nunc scivi loqui facetê atque callidê. – Cum loquebar, homines auscultabant, nec ipse scivi, quomodo hanc artem didicissem, qua colloquia tam facile haberem ac dirigerem. Ne multa, tam vehementer incidi in amorem, ut inciperem ineptire;

praeceps et amens illam sescentis cum laboribus secutus sum per umbras et tenebras, ubicumque poteram. Nihil cupiebam nisi ut illa me cuperet neque promptissimo quidem animo id poteram efficere, ut fervor amoris fieret caritas cordis.

At quid vulgarem istam rem totam repetam ab ovo usque ad mâla enarrans? – Talem fabulam tu ipse mihi sat saepe narrasti de aliis viris sanê probis. At ista fabula vetus, bene nota, in qua ego vir nimis simplex personam gessi repetendo detritam, contra opinionem mei et mulieris et ceterorum omnium, mihi conversa est in calamitatem.

Aliquo vespere pulchro, cum, ut solebam, homines quosdam invitavissem, ut se in horto quodam apud me congregarentur, aliquanto a ceteris remotus unâ cum Fanniâ in horto huc illuc ambulabam et studebam dicere puellae blandimenta quam lepidissima. Fannia verecundê oculos in terram demittens manui meae prementi submissê respondebat, cum subito luna exiit e nubibus, ut illa nullam umbram videret ante se decidentem nisi propriam. Illa cohorrui et primo me aspexit stupefacta, deinde iterum terram, oculis cupiens umbram meam; et ea quae in animo patiebatur, vultu tam mirê expressit, ut cupivissem cachinnum tollere, nisi ipse frigore pervasus essem gelidissimo.

Fannia e brachio meo cecidit et animo relicta est; ego fulguris instar me proripui per convivas territos, ianuam adeptus me inieci in primam raedam quam foris invêni et revector sum in urbem, ubi infeliciter reliqueram Bendelium cautissimum. Qui me aspectu territus uno tantum verbo facto omnia intellexit. Statim allati sunt equi cursuales. Neminem mecum duxi nisi Rascalem, virum vaferimum, unum ex meis, qui agilitate suâ sciverat probare se mihi esse necessarium, et qui nescivit, quid hâc vespere accidisset. Eâdem nocte nondum per 20 chiliometra vectus sum. Bendelius remansit, ut res meas ordinaret, aurum distribueret mihi que postea afferret maximê necessaria. Postridie cum me assecutus esset eum amplexus non iuravi me tales stultitias nullas iterum facturum esse, sed nihil iuravi nisi me fore cautiorem. Nullâ pausâ interpositâ iter perreximus, trans limitem et montes, et in altero latere montium demum alto propugnaculo ab illâ humo infortunatâ separatus cum essem, mihi visus sum tam securus, ut in oppido balneari prope sito, ab hominibus rarius frequentato sisterem a laboribus superatis requieturus.

***(Pars quarta sequetur)***

**FABULAM NOVELLAM  
AB ADELBERTO DE CHAMISSO NARRATAM  
c.t. »Peter Schlemihls seltsame Geschichte«  
IN LATINUM CONVERTIT  
NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**  
<http://www.leolatinus.com/>

# DE RAPTORE HOTZENPLOTZIO

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

**Otfried Preußler**

in Latinum convertit

**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoria, quae appellatur

**LEO LATINUS**

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: [SPQR@LEOLATINUS.COM](mailto:SPQR@LEOLATINUS.COM)



# ***Recitator***

Fabula romanica

quam theodiscê scripsit  
**Bernhard Schlink**

in Latinum convertit  
**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoriâ, quae appellatur  
**LEO LATINUS**

Senden in oppido Bavariæ Suebicæ  
a. 2012

**Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !**

## **VOCABULA VESTIARIA (IV)**

**ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita**

CORBEIL, Jean-Claude/ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörterbuch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem earum sextam, quae spectant ad res domesticas (VII. DOMESTICA). Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I.ASTRONOMIA – II. TERRA – III.REGNUM PLANTARUM – IV.REGNUM ANIMALIUM – V.HOMO – VI.NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.DOMESTICA – VIII.AUTURGIA ET HORTICULTURA – IX.VESTIMENTA – X.INSTRUMENTA PERSONALIA – XI.ARS ET ARCHITECTURA – XII.COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV.ENERGIA – XV.SCIENTIAE – XVI.ATHLETICA ET LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas partem vestiariam huius enchiridii singularis alteram vocabulis Latinis ditificatam. Faveas, quaeso, operi nostro laborioso.

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>



Theodisce	Anglice	Francogallice	Hispanice	Italice	LATINE
<b>p.352 Mäntel u. Jacken</b>	coats	manteaux et blousons	abrigos et impermeables	esempi di giacconi e cappotti	<b>amīcula et +iaccae</b>
<b>Regenmantel</b>	raincoat	imperméable	impermeable	impermeabile	<b>amīculum +impermeābile</b>
<b>Kragen</b>	collar	col	cuello	collo	<b>collāre, -is n.</b>
<b>Raglanärmel</b>	raglan sleeve	manche raglan	manga raglán	manica alla raglan	<b>manica *Raglāniāna</b>
<b>abfallendes Revers</b>	notched lapel	revers cranté	solapa con ojal	revers	<b>revīmentum +crēnātum</b>
<b>Spange</b>	tab	patte	lengüeta	linguetta	<b>fībula, -ae f.</b>
<b>schräge Pattentasche</b>	broad welt side pocket	poche raglan	bolsillo de ribete ancho	tasca interna con aletta	<b>oblīquus sacculus *valvulātus</b>
<b>Knopfloch</b>	buttonhole	boutonnière	ojal	occhiello	<b>ocellus, -ī m. [Holzer, Societas Latina 47,15]</b>
<b>Seitenteil</b>	side panel	pan	pañó lateral	falda	<b>pars laterālis</b>
<b>Mantel</b>	overcoat	pardessus	abrigo	cappotto	<b>amīculum, -ī n.</b>
<b>abfallendes Revers</b>	notched lapel	revers cranté	solapa con ojal	revers	<b>revīmentum +crēnātum</b>
<b>Brusttasche</b>	breast pocket	poche poitrine	bolsillo superior	taschino	<b>sacculus pectorālis</b>
<b>Tailenabnäher</b>	breast dart	pince de taille	pinza	ripresa	<b>*dēsūmentum cīnctūrāle</b>
<b>Klappentasche</b>	flap pocket	poche à rabat	bolsillo con cartera	tasca profilata con aletta	<b>sacculus valvulātus</b>
<b>Trenchcoat</b>	trench coat	trench	trinchera	trench	<b>amīculum fossārium</b>
<b>Wendekragen</b>	two-way collar	col transformable	cuello de doble vista	collo	<b>collāre trānsfōrme [2. OV.fast.]</b>
<b>Koller</b>	gun flap	bavolet	protector	aletta staccata	<b>valvula pectorālis</b>
<b>zweireihig</b>	double-breasted buttoning	double boutonnage	botonadura cruzada	abbottonatura a doppio petto	<b>*biseriātus, -a, -um</b>
<b>Gürtel</b>	belt	ceinture	cinturón	cintura	<b>cingulum, -ī n.; zōna, -ae f.</b>
<b>Gürtelschlaufe</b>	belt loop	passant	presilla del cinturón	passante della cintura	<b>ānsa cingulī</b>
<b>Schnalle</b>	buckle	boucle de ceinture	hebilla	fibbia	<b>fībula, -ae f.</b>
<b>Schulterklappe</b>	epaulet	patte d'épaule	hombreira	spallina	<b>*epōmis, -idis f. [cfr ngr.]</b>
<b>Raglanärmel</b>	raglan sleeve	manche raglan	manga raglán	manica alla raglan	<b>manica *Raglāniāna</b>
<b>Riegel</b>	sleeve strap loop	passant	presilla de la manga	passante del cinturino	<b>ānsa manicae</b>
<b>Ärmeltasche</b>	sleeve strap	patte de serrage	correa de la manga	cinturino della manica	<b>patagīum manicae</b>
<b>schräge Pattentasche</b>	broad welt side pocket	poche raglan	bolsillo de ribete ancho	tasca interna con aletta	<b>oblīquus sacculus *valvulātus</b>
<b>dreiviertel- lange Jacke</b>	three-quarter coat	paletot	abrigo de tres cuartos	trequarti	<b>iacca dōdrantālis</b>
<b>p.353 Parka</b>	parka	parka	parka	parka	<b>amīculum *alascānum</b>
<b>Druckknopf- leiste</b>	snap-fastening tab	patte à boutons-pression	botón de presión	allacciatura con bottoni a pressione	<b>patagīum bōtōnum pressilium</b>
<b>Reißverschluss</b>	zip fastener	fermeture à glissière	cremallera	chiusura lampo	<b>clūsūra tractilis</b>
<b>Lammfelljacke</b>	sheepskin jacket	canadienne	zamarra	montone	<b>+iacca āgnīna</b>
<b>Dufflecoat, Düffelmantel</b>	duffle coat	duffle-coat	trenca	montgomery	<b>amīculum *Duffeliānum</b>

<b>Kapuze</b>	hood	capuchon	capucha	cappuccio	<b>cucullus</b> , -ī m.
<b>Sattel</b>	yoke	empiècement	hombriilo	carré	<b>iugum</b> , -ī n.
<b>aufgesetzte Tasche</b>	patch pocket	poche plaquée	bolsillo de parche	tasca applicata	<b>sacculus impositicius</b>
<b>Knebelverschluss</b>	toggle	bûchette	botón de madera	olivetta	<b>oppillāgō</b> , -inis f.
<b>Lasche</b>	frog	brandebourg	alamar	alamaro	<b>ānsa</b> , -ae f.
<b>Blouson</b>	windcheater	blouson court	cazadora	giacca a vento	<b>thōrāx pēlūsiacus</b> [He., Kl., Wikipedia s.v. Blouson]
<b>Mufftasche</b>	hand-warmer pocket	poche repose-bras	bolsillo de ojal	tasca interna con aletta	<b>sacculus manuālis</b>
<b>elastischer Bund</b>	elastic waistband	ceinture élastique	pretina elástica	fascia elastica	<b>fascia elastica</b>
<b>Druckknopf</b>	snap fastener	bouton-pression	botón de presión	bottone a pressione	<b>+bōtō pressilis</b>
<b>Windjacke</b>	windcheater	blouson long	cazadora	giacca a vento	<b>(thōrāx) pēlūsiacus longus</b> [v. supra s.v. Blouson]
<b>Bund</b>	waistband	ceinture montée	pretina	coulisse	<b>cīnctūra</b> , -ae f.
<b>Durchzieh-schnur</b>	drawstring	cordon coulissant	cordón	cordoncino	<b>fūniculus *pertractilis</b>
<b>p.354 Pullover</b>	sweaters	tricot	jerseys	maglioni	<b>thōrācēs (lāneī)</b>
<b>Strickjacke mit V-Ausschnitt</b>	V-neck cardigan	gilet de laine	cárdigan	cardigan con scollo a V	<b>strictōria lānea capitiō cuneifōrmī īnstrūcta</b>
<b>Aufhänger</b>	hanger loop	bride de suspension	trabilla de suspensión	passante	<b>+suspendiculum</b> , -ī n.
<b>Patent-Strickbündchen</b>	ribbing	bord-côte	tirilla elástica	bordo a coste	<b>limbus costātus</b>
<b>Paspeltasche</b>	welt pocket	poche-passepoilée	bolsillo	tasca profilata	<b>sacculus patagīātus</b>
<b>V-Ausschnitt</b>	V-neck	encolure en V	cuello de pico	scollo a V	<b>capitium cuneifōrme</b>
<b>Knopf</b>	button	bouton	botón	bottone	<b>+bōtō</b> , -ōnis m.
<b>Pullunder</b>	slipover	débardeur	chaleco de punto	gilè	<b>*hypothōrāx</b>
<b>Rollkragen-pullover</b>	polo-neck sweater	col roulé	jersey de cuello de tortuga	maglione dolce vita	<b>thōrāx collāris volubilis</b>
<b>Poloshirt</b>	polo shirt	polo	polo	polo	<b>camisia *polōniāna</b>
<b>Pullover mit halsnahem Ausschnitt</b>	crew neck sweater	ras-de-cou	jersey de cuello redondo	maglione girocollo	<b>thōrāx lāneus cum capitiō redundantī</b>
<b>Strickjacke</b>	cardigan	cardigan	chaqueta de punto	cardigan	<b>strictōria lānea</b>

<b>p.355 Damen- kleidung</b>	women's clothing	vêtements de femme	ropa de mujer	abbigliamento femminile	<b>vestītus muliebris</b>
<b>Mäntel und Jacken</b>	coats	manteaux	chaquetones y abrigos	esempi di giacche e cappotti	<b>amīcula et iaccae</b>
<b>Kostüm</b>	suit	tailleur	traje de chaqueta	tailleur	<b>synthesis vestiāria;</b> <b>*costūma, -ae f.</b> [Eichenseer 81,6]
<b>Jacke</b>	jacket	veste	chaqueta	giacca	<b>+iacca, -ae f.</b>
<b>Rock</b>	skirt	jupe	falda	gonna	<b>gunna, -ae f.</b>
<b>Raglanmantel</b>	raglan	raglan	abrigo raglán	cappotto alla raglan	<b>amīculum</b> <b>*Raglāniānum</b>
<b>Raglanärmel</b>	raglan sleeve	manche raglan	manga raglán	manica alla raglan	<b>manica *Raglāniāna</b>
<b>verdeckte Knopfleiste</b>	fly front closing	boutonnage de patte	pestaña	finta	<b>patagīum bōtōnum</b> <b>obtēctum</b>
<b>schräge Pattentasche</b>	broad welt side pocket	poche raglan	bolsillo de ribete ancho	tasca interna con aletta	<b>oblīquus sacculus</b> <b>*valvulātus</b>
<b>Redingote</b>	riding coat	redingote	abrigo redingote	redingote	<b>amīculum</b> <b>*equestriānum</b>
<b>Pelerine</b>	pelerine	pèlerine	abrigo con esclavina	cappotto con pellegrina	<b>amīculum</b> <b>anaboladio</b> <b>īnstrūctum</b>
<b>Nahttasche</b>	seam pocket	poche prise dans une couture	bolsillo disimulado	tasca inserita nella cucitura	<b>sacculus sūtūrālis</b>
<b>Cape</b>	cape	cape	capa	mantella	<b>anaboladium, -īī n.</b>
<b>Durchgriff- tasche</b>	arm slit	passe-bras	abertura para el brazo	apertura per la braccia	<b>apertūra bracchiālis</b>
<b>Cabanjacke</b>	pea jacket	caban	chaquetón marinero	giacca alla marinara	<b>iacca nautica</b>
<b>Schneider- kragen</b>	tailored collar	col tailleur	cuello hechura sastre	collo a uomo	<b>collāre sartōris</b>
<b>Mufftasche</b>	hand warmer pocket	poche repose-bras	bolsillo de ojal	tasca tagliata in verticale	<b>sacculus manuālis</b>
<b>blinde Tasche</b>	mock pocket	fausse-poche	bolsillo simulado	tasca finta	<b>sacculus caecus</b>
<b>Autocoat</b>	car coat	paletot	chaquetón de tres cuartos	giaccone	<b>amīculum</b> <b>*autocīnēticum</b>
<b>Blazer</b>	jacket	veste	chaquetón	giacca	<b>+iacca, -ae f.</b>
<b>Poncho</b>	poncho	poncho	poncho	poncho	<b>paenula</b> <b>*araucāniāna</b>
<b>Mantel</b>	overcoat	manteau	abrigo	cappotto	<b>amīculum, -īī n.</b>
<b>Beispiele für Kleider</b>	examples of dresses	exemples de robes	ejemplos de vestidos	esempi di abiti	<b>exempla vestium</b>

<b>Schlauchkleid</b>	sheath dress	robe fourreau	recto entallado	tubino	<b>vestis tubācea</b>
<b>Prinzesskleid</b>	princess dress	robe princesse	corte princesa	princesse	<b>vestis prīncipissae</b>
<b>Mantelkleid</b>	coat dress	robe-manteau	traje cruzado	robe-manteau	<b>vestis amīculāta</b>
<b>Polokleid</b>	polo dress	robe-polo	vestido de camiseta	abito a polo	<b>vestis *pōlōnāria</b>
<b>Hauskleid</b>	house dress	robe de maison	vestido camisero sin mangas	abito da casa	<b>vestis domestica</b>
<b>Hemdblusenkleid</b>	shirtwaist dress	robe chemisier	vestido camisero	chemisier	<b>vestis camisiāta</b>
<b>Kleid mit angesetztm Schoß</b>	drop waist dress	robe taille basse	vestido de talle bajo	abito a vita bassa	<b>vestis cīctus inferiōris</b>
<b>Kleid in Trapez-Form</b>	A-line dress	robe-trapèze	vestido acampanado	abito a trapezio	<b>vestis *trapezoīdea</b>
<b>leichtes Sonnenkleid</b>	sundress	robe-bain-de-soleil	vestido de tirantes	prendisole	<b>theristrum, -ī n.</b>
<b>Wickelkleid</b>	wrapover dress	robe enveloppe	vestido cruzado	abito a vestaglia	<b>vestis involūta</b>
<b>Tunikakleid</b>	tunic dress	robe tunique	túnica	abito a tunica	<b>vestis tunicāta</b>
<b>Trägerrock</b>	pinafore	chasuble	pichi	scamicciato	<b>casula (muliebris)</b>
<b>p.357 Beispiele für Röcke</b>	examples of skirts	exemples de jupes	ejemplos de faldas	esempi di gonne	<b>exempla gunnārum</b>
<b>Bahnenrock</b>	gored skirt	jupe à lés	falda de piezas	gonna a teli	<b>gunna virgāta</b>
<b>Schottenrock</b>	kilt	kilt	falda escosesa	kilt	<b>gunna scōtica</b>
<b>Sarong</b>	sarong	paréo	falda sarong	sarong	<b>gunna *sarongica</b>
<b>Wickelrock</b>	wrapover skirt	jupe portefeuille	falda cruzada	gonna a portafoglio	<b>gunna involūta</b>
<b>Etuirock</b>	sheath skirt	jupe fourreau	falda de tubo	gonna ad anfora	<b>gunna *tubācea</b>
<b>Stufenrock</b>	ruffled skirt	jupe à volants étagés	falda de volantes	gonna a balze	<b>gunna gradilis</b>
<b>gerader Rock</b>	straight skirt	jupe droite	falda recta	gonna diritta	<b>gunna rēcta</b>
<b>Sattelrock</b>	yoke skirt	jupe à empiècement	falda acampanada	gonna con baschina	<b>gunna campānācea</b>
<b>Kräuselrock</b>	gather skirt	jupe froncée	falda fruncida	gonna arriciata	<b>gunna crispāta</b>
<b>Hosenrock</b>	culottes	jupe-culotte	falda pantalón	gonna pantalone	<b>gunna brācāta</b>
<b>Beispiele für Falten</b>	examples of pleats	exemples de plis	ejemplos de tablas	esempi di pieghe	<b>exempla plicārum</b>

<b>Kellerfalte</b>	inverted pleat	pli creux	tabla delantera	piega invertita	<b>plica inversa</b>
<b>Gehfalte</b>	kick pleat	pli d'aisance	tabla abierta	piega sovrapposta	<b>plica aperta</b>
<b>Bahnenplissee</b>	accordion pleat	plissé accordéon	plisada	plissé	<b>*plicātūra virgāta</b>
<b>abgesteppte Falte, Biese</b>	top stitched pleat	pli surpiqué	pespunteada	piega impunturata	<b>plica sūtilis</b>
<b>einfache Falte</b>	knife pleat	pli plat	tablas	piega a coltello	<b>plica +cultellāris</b>
<b>p.358 Beispiele für Hosen</b>	examples of trousers	exemples de pantalons	ejemplos de pantalones	esempi di pantaloni	<b>exempla brācārum</b>
<b>Shorts</b>	shorts	short	pantalón corto	shorts	<b>brācae brevēs</b>
<b>Bermudashorts</b>	Bermuda shorts	bermuda	bermudas	bermuda	<b>brācae *Bermūdiānae</b>
<b>Kniebundhose</b>	knickerbockers	knicker	bombachos	pantaloni alla suava	<b>brācae follicantēs</b> [MIR, Nova verba Latina Barcelona 1970, 70, 216 ]
<b>Caprihose</b>	pedal pushers	corsaire	pirata	pantaloni alla pescatura	<b>brācae piscātōriae</b>
<b>Jeans</b>	jeans	jean	vaqueros	jeans	<b>brācae genuēnsēs</b> [He. p.292, s.v. Jeans]
<b>Steghose</b>	ski pants	fuseau	pantalones de tubo	fuseau	<b>brācae tubāceae</b>
<b>Steg</b>	footstrap	sous-pied	trabilla	staffa	<b>+stapēs, stapedis m.</b>
<b>Overall</b>	jumpsuit	combinaison-pantalon	buzo	tuta	<b>vestis operāria</b>
<b>Latzhose</b>	dungarees	salopette	pantalón peto	salopette	<b>brācae *prothōrācinae</b>
<b>Schlaghose</b>	bell bottoms	pantalon pattes d'éléphant	pantalones acampanados	pantaloni a zampa di elefante	<b>brācae *campānāceae</b> [Va. 111, 54 s.v. "...bell-shaped; glockig, glockenförmig.."]
<b>Westen und Jacken</b>	waistcoats and jackets	vestes et pulls	chalecos, jerseys y chaquetas	esempi di giacche e pullover	<b>colobia et iaccae</b>
<b>Bolero</b>	bolero	boléro	bolero	bolero	<b>tunicula Hispānica</b> [He. p.133 s.v. Bolero]

<b>Spenzer</b>	spencer	spencer	bolero con botones	spencer	<b>tunicula *bōtōniāta</b>
<b>Blazer</b>	blazer	blazer	americana	blazer	<b>*iacca Victōriāna*</b>

**Haec vocabula vestiaria  
 excerpit et in Latinum convertit  
 Nicolaus Groß  
 LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

*(Pars .... sequetur)*

---

\* cfr [http://de.wikipedia.org/wiki/Blazer\\_%28Kleidungsst%C3%BCck%29](http://de.wikipedia.org/wiki/Blazer_%28Kleidungsst%C3%BCck%29): Hoc genus iaccarum a.1837 in Britannia confectum est ad nautas navis "HMS Blazer" ante visitationem reginae Victoriae vestiendos.



# ***Recitator***

Fabula romanica  
quam theodiscê scripsit  
**Bernhard Schlink**

in Latinum convertit  
**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoriâ, quae appellatur  
**LEO LATINUS**

Senden in oppido Bavariæ Suebicæ  
a. 2012

**Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: [SPQR@LEOLATINUS.COM](mailto:SPQR@LEOLATINUS.COM) Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !**

## VOCES ET ECHUS

**WIM (Vilelmus) HENDRICKX LOVANIENSIS**

d. 27. m.Sept. a.2014 h.13:58 scripsit haec:

Dear Mr Gross,

I want to thank you for your Latin translations of Süskind, Schlink and Poe, and for your *Epistulae Leoninae*. I had no idea that Latin could be so alive and so much fun!

I recently read in an old issue of *Melissa* (75, 1996) that you have also translated *Treasure Island* by Robert L. Stevenson. Is this translation for sale? And if so, how and where can I buy it?

Kind regards

**Wim Hendrickx (Leuven)**

**Nicolaus Groß Vilelmo Hendrickx Lovaniensi sal.pl.dic.**

Care Vilelme,

valde gaudeo, quod tibi placent versiones meae Latinae.

Sed quod attinet ad Insulam Thesaurariam Stevensonianam, oportet dicam hoc opus illustre iam pridem (a.1922) in Latinum conversum esse a Mogyoróssy Arkád Hungaro in Civitatibus Unitis versante (1851-1935), qui ipse se appellavit Arcadium AVELLANUM:

[http://en.wikipedia.org/wiki/Arcadius\\_Avellanus](http://en.wikipedia.org/wiki/Arcadius_Avellanus)

Nescio, num haec versio Latina adhuc (aut potius iterum) venaliter prostet. Ceterum tibi commendo situm interretialem, quae appellatur PANTOIA. Ibi Bernhardus Platzdasch diligentissime indicat versiones Latinas fabularum aetatis novae. <http://www.pantoia.de/>

Restat, ut tibi commendem EPISTULAS LEONINAS, quas gratis et sine ulla obligatione mittere soleo omnibus amicis linguae Latinae: <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

Haec hactenus. Cura ut valeas!

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**IOHANNES PETRUS KNIJFF BATAVUS**

d.15 m.Sept. h.03.25 scripsit haec:

Iohannes Batavus viro doctissimo Nicolao Grotio s.p.d.

Casu (haud enim scio qua via electronica!) hodie inveni versionem Latinam illius libri bene mihi noti cui *Crabatum* titulum Latine dedisti. Laudo -- quam maxime placet opus!

Valde miratus sum de vita tua -- qui etiam in orientali terra opera palmaria et classicorum et recentiorum auctorum Latinorum mehercle Latine docuisti!

Ipse Batavus sum, etsi iam XV annos in America, breviter quoque in Australia, vivo. Artis musicae satis peritus (in doctoralem gradum promotus sum Novi Eboraci) nuperrime quoque magistralem gradum accepi Lexingtoniae apud Universitatem Studiorum Kentukiensem Terentio Tunberg Milenaqua Minkova professoribus.

Nunc Ludovicopoli Kentukia in civitate Latine, Graece, carmina Homerica (sane Anglice), et artem musicae doceo in parva schola, valde bona autem, cui nomen Louisville Classical Academy. Doceo Latinam linguam plerumque Latine (libro c.t. *Lingua Latina per se illustrata* enim utor, sine dubio bene tibi noto). Etiam conor in schola hic et illic Graece loqui, id quo (eheu!) facilius est dictu quam factu!

Tune adhuc in Corea vivis an in Germania? Fortasse licebit quandocumque coram colloqui. Scito, ut dixit poeta, grates persolvere dignas non opis esse meae. Cura prosperrime valeas.

--

Dr. Jan-Piet Knijff  
DMA (City University of NY), MM (Amsterdam), FAGO  
MA in Classics & Grad. Cert. Latin Studies (U. of Kentucky)  
Pianist, organist, harpsichordist, conductor, lecturer, writer  
Latin, ancient Greek, German  
Director, Armidale Beethoven Festival, Australia  
[859-420-3781](tel:859-420-3781) | [jpknijff.com](http://jpknijff.com)

**Nicolaus Iohanni Batavo sal.pl.dic.**

Care Iohannes,

summas gratias pro litteris tuis perhumaniter scriptis.

Gratulor tibi de tuis studiis et meritis academicis multiplicibus. Tibi congaudeo, quod apud Terentium Tunberg professorem Latinitatis antiquae necnon recentioris doctissimum bonis litteris studuisti pernoscendis.

Quaeris, ubi nunc vivam. Ante decem fere annos ex Corea in patriam reversus vitam dego prope Ulmam (est urbs illa ad Danubium fluvium sita, quae cum ceteris rebus tum praecipue altitudine ecclesiae cathedralis innotuit), ubi in gymnasio et universitate doceo linguas vetustas, quae sunt latina, graeca, sancrita.

Novistine iam Epistulas meas Leoninas? Appendici huius epistolii inclusi novissimam Epistulam huiusmodi.

Crabatum iam pridem Latine reddidi completum. Spero fieri posse, ut eum librum mox edam in domuncula Leonis Latinis.

Haec raptim, mox fortasse plura.  
Care Batave, cura ut quam optime valeas.  
Medullitus te salutat

**Nicolaus.**

d.20. m.Aug. a.2014 Fabianus Gropp scripsit haec:  
**FABIANUS (Fabien) GROPP NICOLAO GROSS S.P.D.**

Iam per longum tempus Epistulas tuas Leoninas accipio iisque legendis gaudeo, quippe quarum argumenta et varia sint et uberrima.

Francofurti ad Moenum historiae artium philologiaeque Latinae studeo in universitate eiusdem urbis. Spero fore, ut anno proxime futuro studia conficiam titulo magistri artium accepto. His temporibus quaero aliquem quaestum, in quo notitiam meam linguae Latinae, cui valde faveo, adhibere possim („Latinitatem meam“ dicere non ausim). Quare te rogare velim, domusne tua editoria facultatem praebet ad cooperandum, e. g. in rebus ad conversionem pertinentibus.

Me valde linguae Latinae favere, i. e.: Non tantum Epistulas Leoninas legere, verum etiam Nuntios Latinos Radiophoniae Finnicae Generalis prius audire, deinde legere soleo; aliquatenus et ipse Latine loqui possum – etsi raro datur occasio nec de stilo ac vocabularii copia cum Cicerone aliisque magnis oratoribus antiquitatis certare valeo. Imprimis Latine scribendo delector, cum vel per interrete cum aliis varias res communico vel carmina compono vel cantus populares diversi generis in Latinum converto. Etiam musicam classicam intextis cantionibus Latinis diligo, sicut „Carmina Burana“ a Carolo Orff retractata vel pura aut motetti, qui Italice dicuntur, Antonii Vivaldi. Quod ad lectionem eorum librorum attinet, quos etiam atque etiam e bibliotheca mea profero, Vergilii, Ovidii, Horatii fautor sum pariter atque auctorum neo-Latinorum. Infra exemplum adiunxi unum ex opusculis meis; agitur de cantu „Soundso“ sive „qualis sis“ gregis musici „Wir sind Helden“. Hanc conversionem absolvi non solum textu Germanico, sed etiam Francogallico usus, quem quoque a gregis cantrice Judith Holoferne compositum puto; canendum est cum elisionibus. Lingua autem Latina non sola in litteris musicaque mihi delectationi est, item Francogallica Germanica, Anglica; quibus quoque linguis poemata compono, cantusque „Living on My Own“ (Freddie Mercury) et „Es lebe der Sport“ (Rainardus Fendrich) Francogallice reddidi. Linguam Graecam antiquam minus calleo praesertim nimia formarum coniugationum varietate. Interdum etiam Italice aut Hispanice scripta brevissima lego, nisi res nimis contortae tractantur. Ut plura de me ipso cognoscas, res maioris momenti de vita mea exponam: Natus sum 37 annos, locus meus natalis est Nancium, urbs illa in Lotharingia sita, sed iam inde ab infantia Francofurti habito; lingua Francogallica est sermo meus – ut ita dicam – maternus, patrius autem Germanica. Ibi anno 1997 maturitatem adeptus sum; cursus operarii in gymnasio erant linguae Anglica et Francogallica. Quamvis possem, Latine discere

tamen illo tempore propterea nolebam, quod haec lingua molestissima, quin etiam plane inutilis mihi videbatur; malui annum linguam Italicam temptare, quia illa iucunda auditu esset nec „mortua“. Postea munere civili in gerontocomio Francofurtensi functus sum, quo permulta experiebar, quae prosunt ad vitam. Nonnullis erroribus annis insequentibus subitis, inter alia studiis propter minimam mathematicas physicesque peritiam incisis, anno 2002 tandem ea studia suscepi, quae supra dixi. In universitate linguam Latinam primo necessitate adii – ut cum historia artium admodum coniuncta – , mox, cum omni ex parte multo gratiorem quam umquam ante crederem se praebisset, disciplinam meam alteram feci. Ibidem etiam certificatum accepi, ex quo gradum B2 linguarum Romanicarum assecutus sum.

His ergo litteris si impetrem, ut aliquo modo particeps fiam rerum Leoninarum, valde gaudeam. Quod propositum non tantum ad quaestum parandum spectat, sed eo quoque, ut cum auspiciis tuis scripta mea Latina divulgem, quibus fortasse et alii delectentur, tum notitia mea linguae Latinae augeatur. Persuasum enim habeo permulta adhuc esse, quae hac ratione addiscam; has ipsas quoque litteras, quamquam iis scribendis opere maximo operam darem, tamen a perfectione atque absolute fortasse longe abesse haud ignoro.

Quae cum ita sint, restat, ut intentus responsum tuum exspectem, quidnam de illa re sentias.

Quam optime vale.

Datum Francofurti ad Moenum a. d. Kal. Sept. XIII. a. MMDCCLXVII. a. u. c.

---

P. s.:

Ego quoque aliquando pseudonymum mihi imposui, id quidem non superbia, sed per iocum: Fabius Xystinus p. l. Crassus. „Xystinus“ deducitur a Sacello Xystino (vulgo Cappella Sistina), symbolo quodam historiae artium, et „p. l.“ „poëta laureatus“ significat; cetera haud scio an explicatione omnino non egeant ...

**Nicolaus Fabiano sal.pl.dic.**

Care Fabiane,

gratias plurimas tibi ago pro litteris tuis perhumaniter scriptis.

Epistula tua perlecta animus meus valde commotus est. Libentissime quidem velim tibi, qui Latinitati tam sincere tamque naviter studeas colendae, aliquem quaestum praebere, sed dolenter non possum, quin spem tibi adimam:

Revera Leo Latinus neque habet cooperatores neque pecuniam, quam, si haberet, iisdem daret. Nam haec bestia nihil lucri efficit; textus Latinos, quos edo e domuncula Leonina magis virtuali quam reali, omnes ipse solus scripsi (vel converti) horis meis subsicivis; impensae autem pecuniae libros imprimendi discosque inurendi et mittendi nequaquam minores sunt acceptis. Vitam meam sustento officiis meis scholaribus et universitariis gerendis.

Valde doleo, quod optatum tuum explere non possum. Novistine Professore Axelium Pulchrimontanum (Schönberger) Francofurtensem? Iamne cum eo locutus es de studiis tuis?

Ceterum de epistulis tuis semper gaudebo; si quas relatiunculas Latinas habueris, easdem, si placuerint, libenter divulgabo.

Haec hactenus, mox fortasse plura.

Medullitus te salutat

**Nicolaus Groß**  
**LEO LATINUS**

d.20. m.Aug. a.2014 Fabianus Gropp scripsit haec:

**Fabius Xystinus p. l. Crassus, qui litteras suas nihilominus perhumaniter scriptas appellatas gaudet, Leoni Latino s. p. d.**

Ita est ut dicis: dolendum est illud, sed intellego.

Scilicet novi professorem Axelium Pulchrimontanum. Colloquis eius Latinis Francofurtensibus iam interfui, sed confitear oportet hoc per longius tempus non factum esse, non prae timidate aut taedio - praesertim cum illa colloquia in caupona admodum placida instituantur ideoque conviviis simillima sint -, sed propter causas vel potius crisis, quas enumerare longum est. (Quo magis mirandum est illum mihi adhuc per electrogrammata invitationes mittere.) Aliquando etiam de studiis meis cum Axelio locutus sum, sed generatim magis quam singillatim.

Ecce mihi in mentem venit illa fabella facetissima, quae olim saepius in emissionibus televisificis ad merces divulgandas spectari poterat quamque nuperrime Latine reddere conatus sum; at timeo, ut conversio ipsa sit divulgatione digna:

Fabulae ex horto Pauliano.

caupona: Age, cedo ...  
 Hospes: Hoc tapetum emere ego nolim – sodes.  
 Caupona: Mhm.  
 Hospes: suave tibi iter.  
 Caupona: mi gratum.

Bona, melior, Paulianissima. Nunc et sine alcoholo.

Cura, ut valeas.

**Fabianus Gropp**

**URBANUS dos Santos Ferreira Brasilianus d.10 m.Oct. a.2014 h.16:57 scripsit haec:**

Ave, Leo Latine! Salutem plurimam!  
 Quomodo dicitur Latine illa vestis, quæ Theodisce dicitur «Unterhose»,  
 Anglice vero «panties»?  
 Maximas gratias. Vale semper.  
 Brasiliapoli, Veneris die, VI Idus Octobres, MMXIV A.D.  
 Urbanus

**LEO LATINUS respondit haec:**

Leo Latinus Urbano suo sal.pl.dic.  
 Care Urbane,  
 hoc vestimentum dicitur "subligar, -aris n."  
 Vale semper, medullitus te salutatur

Nicolaus Groß  
LEO LATINUS

**URBANUS BRASILIANUS respondit haec:**

Optime Leo Latine,

Eodem subligaris verbo dicitur etiam Latine, quod Theodisce «Slip», Anglice vero «underpants» appellant?

Urbanus

**LEO LATINUS** d.11. m.Oct. a.2014 h.16 :00 respondit haec:

Care Urbane,  
nomina theodisca et anglica, quae tu affers, non semper et ubique sunt unius eiusdemque significationis. Verbum theodiscum, q.e. "Unterhose" solet generaliter significare vestimenta interiora, necnon "slip" (quod est verbum anglicae originis in theodiscum introductum) est vestimentum interius et virorum et mulierum. "panties" et "underpants" solent esse vestimenta interiora mulierum.

In Latino distinguenda sunt duo nomina:

subligar virile  
subligar muliebre

De singulis subligarum generibus specialibus Latine denominandis deliberandum erit.  
Non omnia uno die tractari possunt.

Haec hactenus, mox fortasse plura.

Medullitus te salutat

Nicolaus Groß  
LEO LATINUS

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
OCTOGESIMAM SECUNDAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Saturni, d.11 . m.Oct. a.2014**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**